

9

R.A.C. 146
Pr. 26. num. 38.

Thesēs Juridicæ,
DE
**SACRAMENTIS
PUBERUM.**

Ad ductum

Avthent. Sacram. Puberum

C. Si advers. vendition.

Qvas

DIVINA FAVENTE GRATIA

PRÆSIDE

D. HENNING CHRISTOPH.
GERDESSEN,

Professore Juris Ordinario,

Ad Diem Marii

publico Eruditorum Examini

submittit

JOACHIMUS CHRISTIAN STROHTE,
Berga Rugianus.

GRYPHIS WALDIE,
Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.



DEO
Summe iusto,
Unico veræ *JUSTITIÆ* Fonti;

Et

PARENTI
*PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
PRUDENTISSIMOQUE*

**DN. JOACHIMO
STROTH;**

Regii Svecici Dicasterii Pomeran.
Advocato meritissimo,

Eâ qvâ decet Pietate à teneris ad cineres usqve
devenerando

Dissertationem Hanc

*Cum ardentissimo omnigena felicitatù volo
dicatam consecratamque
voluit*

JOACHIMUS CHRISTIANUS STROTH,
Berga-Rug. LL. STUDIOSUS.



O pravitatis jam dudum in
societate humana deuentum
est, ut ipsa quoque fides, quæ
per se firmissimum negotio-
rum vinculum esse poterat
et debebat, non raro vacil-
let, imo rumpatur, indeque
omnia fora fidei non serva-
re, aut ruptæ querelis impleantur. Pro remedio
bujus mali evidem juramentorum religio insu-
per adhiberi, illaque promissorum fides firmari
coepit. Sed ex ipso hoc quoque remedio varie
peccandi occasiones sumtae, alius etiam hoc novum
fidei munimentum insigni levitate transilienti-
bus, alius vero fraudis ac callidarum machinatio-
num firmamentum inde querentibus. Non defu-
erunt hic igitur suo officio Legumlatores, utrique
juramentorum abusui obices saluberrimis Consta-
tutionibus ponendo. Interbas autem, cum non
postrema sit Imperatoris Friderici in avthent.
Sacramenta puberum C. Si adversus vendition.
placuit in praesens ad ductum illius loco Disser-
tationis Academice Theses quasdam juridicas pro-
ponere.

THES. I.

Verbum Sacramentum, qvod
alias varie accipitur, (a) hic idem est, qvod
juramentum (b).

(a) *De variis significacionibus verbi sacramenti.* vid Ziegler, ad Lancellott. Lib. 2. tit. 2. §. 2. Brason. de Verb. Significat. Verb. Sacrament. covarrav. in Relect. Cap. Qvamvis pactum de pact. in 6. part. 1, in init. n. 2.

(b) *Præter multa alia, sacramentum appellatur juramentum,* seu obligatio Divini Numinis testimonio & interventa confirmata inquit Covarrav. dict. loc. *Auctore enim Festo sacramentum dicitur quod jurisjurandi sacratione interposita geritur.* Qte significatio in jure frequens, quando de juramento militari sermo est, vid. l. 2. §. 3. ff. de his qui notant. infam. l. 14. ff. de his qvæ ut indign. l. fin. ff. de re milit. l. 2. ff. de Veteran. l. 8. C. de legat. add. Gotofred. ad d. l. 2. ff. de Veteran. Accipitur tamen hæc vox etiam in genere pro juramento, vid. text. 2. Feud. 53. & aythent. nostr. Sacraenta puberum C. si advers. vend. cap. 28. X. de jurejurand.

THES. II.

Uti pubertas regulariter (a) in fœminis anno duodecimo (b) in masculis autem anno decimo quarto adesse dicitur, ita & præsenti in loco puberes videntur esse masculi quatuordecim, & fœminæ duodecim annorum (c).

(a) *Pubertas* egyptiæ dividitur in plenam & minus plenam. Quarum illa in masculis annis 18, in fœminis autem 14. absolvitur, l. 14. §. 1. ff. de aliment. & cibar. legat. sed plena pubertatis in uno alteriore casu saltēm consideratio est, scilicet in materia alimentorum d. l. 14. §. 1. & adoptionis §. 4. Inst. & l. 40. §. 1. ff. de Adoption. Regulariter autem pubertas

pro

pro diversitate sexus post quatuordecim vel duodecim annos dicitur princ. Instit. Qvib. mod. tutel. finit. ibique Dd. ubi requiritur, ut masculi annum decimum quartum, & foeminae annum duodecimum impleverint, sed cum hoc de plena pubertate nullibi dicatur, ideo controvertitur inter Doctores; an & ad plenam pubertatem requiratur, ut annus decimus octauus compleatus sit; an vero sufficiat si inchoatus sit. Qvod ultimum verius esse putat Dn. Huber. in præfession. ad Inst. tit. de Adoption. § 7. cui tamen recte contradicit Dn. Thomas. ibid. in not. qui prius defendit, consenit strueb. Disput. jur. univers. 4. §. 15.

- (b) Foeminae citius sunt puberes, quam masculi, cuius rationem vid. apud Vinn. ad princip. Instit. Qvib. mod. tut. finit. Qvod tamen moribus nostris fallit in penalibus, ibi enim idem pubertatis terminus quoad foeminas, quam quoad masculos per ordinat. crimin. Carol. V. art. 64. videat. carpzov. in prax. crimin. Qvæst. 143. n. 27. &c seqq.
- (c) Licet secundum jam dicta pubertas diversimode estimetur, praesenti tamen in casu modo ordinario accipienda videtur, ita, ut masculi quatuordecim, foeminae autem duodecim annorum, pro puberibus habendi sint. Quia in authentic. nostra, Puberum in genere fit mentio, ideoq; secundum jus commune, & secundum illud, quod regulariter obtinet, id intelligendum covaruv. Relect. cap. Qvamvis pactum de past. in 6. part. 3. §. 1. num. 4. Gomerz. Tom. 2. resolut. 14. n. 18.

THES. III.

Dum autem in authenticâ nostra puberum tantum fit mentio, inde non male colligitur, qvod ad impuberes, (a) etiamsi sint pubertati proximi, (b) non pertineat.

- (a) Minores alii sunt puberes, alii impuberes. Quapropter si negotia non tantum puberum, sed & impuberum juramento confirmantur, ita ut bi eque ac illi contra juramentum suum venire

non possent, perperam hac Constitutio Friderici Imperatoris de solis puberibus concepta fuisset. Quoties enim certis quibusdam ex aliquo genere nominatum quid admittatur (uti hic puberibus potestas revocandi contractum juratum) cetera, qui ex eodem genere sunt, concedi intelligitur, l. 12. pr. ff. de judic. Donell. Comment. de Jur. Civil. lib. 21. cap. 13. p. m. 532. add. sichard. ad avthen. Sacrament. puber. C. Si advers. vendit. n. 27. & seq. Quia ratio presenti in caſu eo magis stringit, quia puberes perfectius habent judicium, quam impuberes, ideoque major dubitandi ratio, an bi eque, quam illi juramento suo obligantur. Quod si jam hæc Imperatoris Friderici mens fuisset, authenticata nostra non sine virtute de solis puberibus concepta effet, cum à majori ad minus affirmative argumentari non licet.

(b) Cum ad omne validum juramentum tria requirantur, veritas, judicium, & justitia, facile convenit inter Doctores, quod authenticata nostra ad infantes, & infantia proximos non pertinet. Quia in illis secundum requisitorum, judicium scilicet deficit, vid. §. 9. Instit. de inutil. stipulat, ubi non multum à fruſo distare, & nullum intellectum babere dicuntur. sed de puberatate proximis queritur, an illi juramentum super contradicibus prestitum revocare possint? Negant hoc Perez ad Cod. tit. Si advers. vendit. n. 5. Franciscus de Caldas in Comment. ad l. 3. C. de integr. rest. minor. verbo Minoribus. n. 9. Farinac. in prax. crimin. qvæſt. 15. num. 34. Gometz Tom. 2. resolut. 13. n. 18. ubi ab hac tanquam communiori opinione in judicando non recedendum esse dicit, licet ipſe contrarium de jure verioremeſſe putet. Ratio, qua moventur, est hæc, quia puberatati proximi sunt dolē capaces, l. 111. ff. de R. J. & ita quoq; perjurii Cap. I. X. de delict. pueror. ut sic contra l. 1. C. Si advers. vendit, perfidia & perjurii ipſis auctor futurus effet, qui vim juramenti prestiti relaxaret. Contrarium autem tenent & defendunt sichardus ad C. ad avth. Sacrament. pub. C. Si advers. vendit. num. 26. covarruv. dict. loc. part. 3. §. 1. n. 5. Donell. d. l. p. 532. & seqq. ubi variis argumentis, partim ex nostra authenticā, ubi, dum puberum falem fit mentio, impue-

impuberis etiam pubertati proximi non obscure removentur;
 partim ex l. 26. princ. ff. de jurejur. ubi, quod pupilli pejerare
 videantur, negatur; partim ab utilitate pupillorum & aequi-
 tate, quia scilicet secundum priorem opinionem misera hec erat
 variis circumventionibus, quibus alias obnoxii sunt, magis
 exponeretur, defumptis, hanc suam opinionem firmat, & ad
 contraria eruditus responderet; ubi rüderi potest. Et ab hac opi-
 nione neque nos alicui sumus, cum temperamento tamen, quod
 hic adhibet Hilliger ad Donell. d. l. lit. D. ubi hec ejus legun-
 tur verba. Ceterum et si satis scite hic Don. opinionem suam
 muniat, ac relate rationes convincant, juramento impuberis
 robur obligationi invalida aut efficaci nullum accedere, nec
 inde aut contra petitam restitutionem in integrum exceptionem
 alteri dari cui juratum est, aut si egerit, contra exceptionem
 astatis, replicationem. Probe tamen apud animum perpendat
 pubes jam redditus, anne ejus ingenii ac judicij tunc, cum impu-
 bres juraret, fuerit, ut, qvid ageretur, quæ item religio sit juris-
 jurandi, perfecte intellexerit, firmumne & integrum (quæ ali-
 quando pueros nonnullis præcocitas & velocitas ingenii) & qve
 ac si pubertatem forte plenam attigisset, assensum præbuerit.
 Tunc enim violando jusjurandum perjurii reatum non effu-
 giet. Damnum ergo facultatum maxime modicum insuper
 habeat, majoremque rationem conscientia, & ultiōis divinæ
 vitandæ ducat. Nec ideo tamen in foro civili ulli juramenti
 ab impubere præstiti effectus esse debet, nec inde adversario
 actio dari. Exemplo enim perniciosum foret ex rarioribus
 casibus jus constitui. Qui ipsi causis non ita Judicii perfecte
 patescere possunt, cum, quæ in animo consistunt, alteri non
 sint obvia. Adhac indignus cui subveniatur, qui impube-
 rem, ut juraret, induxit, illo ipso negocio circumvenit, et si for-
 te dolo non fecerit. Mirarique subit, qvi error vulgaris ita
 increbescere, forique subsellia & tribunalia occupare potuerit.
 Neque enim tanti est quod ajunt, quia de animarum his favore,
 & ut vitetur peccatum, agatur, extensionem quoq; juris cor-
 rectiori & exorbitantis fieri. An autem hec authenticata etiam
 ad pro-

ad prodigos spectet, ut nec hi à conservatu iurato recedere possint? via apud Gomerz. Tom. 2. resolut. 14. n. 32. caldas in Commentar. ad l. 3. C. de integr. restit. minor. verb. cum non absimilis n. 24. & verb. Minoribus n. 8. vers. Quarto facit. ubi negant prodigum juramento obligari. & restitutio auxilio desistere. Et quidem nostro iudicio quodam forum externum recte: nullus enim interdictionis bonorum effectus, neque prodigalitatis finis foret. si prodigus juramento suo valide, & cum effectu obligaretur, & sic decretum Magistratus, quo ipse bonis interdictum, eludere posset. Quia conscientiam autem à perjurii reatu eum non immuuem esse putamus; quia, quod delicta. & sic etiam peruria attinet, inquit prodigum & hominem frugi nulla differentia carpzov. in prax. crimin. Qual. 118. n. 27. Crux de indic. delictor. par. 4. cap. 55. n. 3.

THES. IV.

Ut puberum juramenta sint obligatoria, requiriunt ut sint solennia. (a) Ut autem corporaliter praestentur, (b) & verba juramenti ore proferantur, (c) necesse non est.

(a) Varie juramentorum formulae apud varias Gentes non Ethnicas modo, sed & Christianas in usu fuerant, vid. late Rauchb. lib. 2. qvæst. 2. per tot. Quarum nonnullæ, et si sine omni effectu non sint, vim tamen & efficaciam solennis juramenti non habent. carpzov. p. 2. C. 16. d. 6. n. 14. Ideoque quando Lex ad actus validitatem solenne juramentum requirit, ut in presenti casu, ejusmodi formula pro juramentis non habentur. carpzov. d. l. n. 6. Hartmann. Pistor. lib. 4. qvæst. 6. n. 3. licet absque nota impietatis violari non posint. carpzov. n. 10. In Imperio autem nostro Romano Germanico solennis juramenti formulae hoc esse dicitur. So wahr mir Gottes helfe / und sein heiligtes Wort. carpzov. d. l. n. 6. & 7.

(b) corporale juramentum dicitur, quod interueniente adiungo corporeo prestatur, scilicet si jurans dgitos sanctis Evangelis vel

vel sacris Biblit̄ imponat: vel Masculi duos priores digitos manus dextra erigant; Femine autem sinistra mammilla damenteant, (que solemnitas jurandi apud nos in usu est,) &c. vid. Rauebb. d. l. n. 72, & seqq. Nam queritur an & praesenti in casu juramentum corporale requiriatur, ut puberes validē obligentur, nec aliter à lege concessis beneficiis uti possint? Mejer. in Colleg. jurid. argentora. lib. 4. tit. 4. § 6. minorem contra contractum etiam juratum venire posse statuit, nisi corporaliter, scilicet taliis sacrosanctis Evangelio & manu sublata juraverit. In qua opinione quoque sunt Doctores citati à Rauebbar. lib. 2. Quæst. 2. n. 97. sed licet negari non posset, ejusmodi solennia externa suam babere utilitatem. Iusque esse. Eius; excitatur enim illos animus jurantis, ut majori attentione juret. vid. Hillig. ad Donell. lib. 21. cap. 13. lit. B., ad essentialia tamen juramenti non spectant, sed sicutem inter adiaphora connumerantur. carpzov. p. 2. Confl. 16. def. 6. n. 3. DEUS enim inter juramentum corporale & verbale non distinguit. Rauebbar. d. l. n. 99. Quapropter, cum in authentica nostra juramenti corporalis nulla fiat mentio, sed sacramentum puberum sicutem in genere ad contractum validitatem requiriatur, contraviam opinionem veriorem esse putamus. Quam defendant Donell. d. lib. 21. cap. 13. p. 2. 532. Hillig. in not. ibid. lit. B. ibique allegat.

- (c) Quia hic agitur de juramento, unde homini acquirienda obligatio, per se facile patet, quod juramentum mentale non sufficiat, de hoc enim homini constare non potest, ut ita certo respectu obtineret regula, in mente retentum nihil operatur. Quanquam in Ordine ad solum DEUM tale juramentum sit obligatorium. Frantz. lib. 2. Resolut. 2. num. 27. & seqq. Verba itaque hic omnino necessaria sunt, sed ut illa eloquuntur jurans non aye necesse est. Hinc ex Hilliger. in Donell. enucleat. lib. 24. cap. 13. lit. B. recte distinguit Frantz. d. l. D. 43. inter conceptionem verborum, ac prolationem illorum, que voce fit. Illa de substantia juramenti est, partim ut de mente

mente juramentum deferentis, partim ut de ipso juramento, ipsiusque formula constet, ac jurans deinceps variis exceptiōnibus & prætextibus intentionem illius, cui juratum est, claudere posset. Hæc autem necessaria non est, sed sufficit, si formula juramenti in scriptis concipiatur, & is, à quo illud exigitur, vel nutu, vel etiam in scriptis testetur, se juramentum prescriptum non tantum approbare, sed etiam præstare. Nullibi enim contrarium vel dictum, vel scriptum legitur; ideoque cum hic omnia legitimi juramenti requisita ad sint, neque de sensu vel deferentis juramentum, vel illud suscipiens dubium esse posse, non poterit non illud esse obligatorium. Quod si itaque in ipso contractu cum pubere into solennis juvamenti formula continetur, & pubes perleto contractu subscriptione, vel alio modo sufficienter mentem suam declarat, quod sub iuris jurandi religione se obligare & contrahere velit, nullum dubium superesse videtur, cur juramentum non pro legitime præstito babendum sit. vid. Frantz. d. l. n. 47.

THES. V.

Porro id qvoqve necessarium non est, ut puberes ante præstium juramentum, de beneficiis, qvibus mediante juramento renuntiandum est, certiorentur, (a) vel ut in propria persona jurent. (b) Ut autem juramentum speciale super contractibus præstetur, omnino reqviri, nec generale sufficere videtur. (c)

(a) sibardus ad avthent. Sacram. puber. C. Si advers. vendit. num. 2. & seqq. certiorationem necessariam esse patet, cum quo sentiunt & ali, quos allegavit Hillig. in Donell. enucleat. lib. 21. cap. 13. lit. H. Contrarium autem defendunt Peretz. ad tit. C. Si advers. vendit. n. 4. Pinell. ad l. 2. C. de refind. vendit. part. 3. cap. 1. n. 10. ibicq; allegat. Conf. Hillig. d. l. ubi, relatis utriusque partis rationibus, uniuscujusq; arbitrio relinquit, quid statuere velit. Nobis ultima opinio placet, quia authentica nostra nullam certiorationem, sed saltē sacramentum

mentum requirit, & per alias rationes adductas ab Hilligero alleg. loc. Interim tamen hoc facile conceditur, quod cautius agat, si contrabens cum minore, quo securior reddatur premoneat illum, idque ipsum instrumento contradicat vel renuntiationis inseri cureret Hillig. dict. loc.

- (b) Extra dubium eviderit est, quod puberes juramento tertii, cui non in specie mandatum, ut nomine illorum juret, non obligentur; etiam si curator sit, a quo sine speciali mandato juramentum prestitum. Curatores enim nomine minorum contrahere, sed juramento suo, quod personalissimum est, conscientiam illorum obligare, vel beneficia iuriis illis admere non possunt. vid. Hillig. dict. loc. lit. L. ut autem puberes in propria persona jurent, necessarium haud videtur, sed iatis esse poterit, si per procuratorem speciali mandato instruictum juramentum present. Hillig. dict. loc. Gometz. Tom. 2. Resolut. 14. n. 18. in fin.

- (c) Questio hec est, an sufficiat, si puberes in genere jurent, se contractus faciendo seu futuros servatos esse, an autem requiriatur, ut super quolibet contractu in specie juretur? Et juramentum speciale hic necessarium esse, cum sichard, ad d. avthent. Sacrament. puberum num. 37. statuendum esse putamus. vix enim compos mentis videri posset, quia ita generaliter contractus futuros, de quibus nullum conceptum habet, nec habere potest. juramento confirmet. Quod tamen limitat sichard. dict. loc. si minor juret publice persona, ut judici vel Notario, se servarum omnes contractus, & illa publica persona, recipiat juramentum nomine absentium. Quo casu juramentum validum esse vult per text. in l. 18: & 19. ff. de adoption. & §. 4. Inst. de Inutili stipulat, sed hec limitatio vel in terminis extuum allegatorum sicutem intelligi debet, & tunc ad praesentem casum, prout ipse sichardus eum proposuit, pertinere non videtur; vel generaliter intelligenda est, & tunc falsa, nec casus dubius esse videtur. Casus enim, uti sichardus eum formavit, hic est: Minor generaliter jurat, se non contraventorum contractibus faciendis, si deinde contrahat nullo juramento

adjecto, queritur an illud generale juramentum, quod semel prescrit, se extendat ut genus ad illum contrarium tanquam speciem? Loquitur itaque de contractibus futuris, & quidem incertis, quod clarus pater ex sequentibus, ibi, cum idem juramentum non posset diversos contractus, & forte dissimillimos & que validare. Quod autem hoc fallat, si minor publica personae juver, se servaturum contractus futuros & incertos, de quibus tempore juramenti non cogitavit, per textus allegatos non probatur; ut in confiditu videbimus. Et falsum videtur esse, quod iudex, vel alia publica persona ejusmodi juramentum reale recipere posse. Dubitatur enim de aequitate authenticæ, etiam si minor certum, & jam perfectum, vel mox perficiendum contractum juramento confirmet, multo minus itaque licet iudicium cum certissimo danno & prejudicio minorum juramentum generale ad futuros & incertos contractus confirmandos admittere. Conf. Hillig. dict. loc. lit. K. in fin. qui ideo juramentum generale non sufficere statuit, ne minor veniam etatis sibi tribuere posset, quod alias Principis reservatum est. Juramentum ramen, si juramento, licet generali contraveniat, conscientie labe immunem asservere non audet, sed bicasus inter raro contingentes numerandus esse videtur.

THESS. VI.

Juramento ita legitime & sponte (a) praestito, confirmantur omnes contractus, (b) & quasi contractus, (c) etiam distractus. (d) Nec interest an contractus sint validi, (e) vel invalidi. (f)

(a) Avthent. nostra Sacra menta puberum. Nam quando aliquis vi metuere jurare coactus est, ejusmodi juramentum secundum authenticam nostram non est obligatorium, de quo dicitur.

(b) Bilaterales & unilaterales iurandi ad avthent. nostram n. 34. Donell. lib. 21. cap. 13. & generaliter omnia pacta iurandi, dict. loc. etiam donationes Hillig. in Donell. encyclo. lib. 24. cap. 21. cap. 1. 3. lit. K. ubi addit, quod nonnulli hoc saltet admir.

admittant in donatione ob causam, non in temeraria, inconsulta, & profusa.

- (c) Hilliger. d. lit. K. Quod etiam ad judicia extendunt, quia in illis quasi contrahit. Id. ibid. Gometz. Tom. 2. Resolut. 14. n. 18. in fin. Sichard. dict. loc. Prudens autem iudex non facile admittet puberes ad juramentum, quo se obligant ad servanda ea, qua in iudicio aguntur, sed potius secundum prescripta Legis illis curatorem in item dabit.
- (d) Quod enim de contractibus in nostra avthentica dicitur, Doctores etiam ad distractas, id est liberations, acceptilations, & renuntiations extendunt. Hillig. d. l. Sichard. d. l. Gometz. d. l.
- (e) Contractus validi hic dicuntur illi, qui ipso jure valent, sed contra quos puberes, probata lesione, in integrum restituvi possunt.
- (f) Contractus invalidi non unius sunt generis; Alii enim sunt invalidi, quia sunt contra bonos mores, vel quia ob publicam utilitatem prohibiti; vel quia tendant in prajudicium tertii. Alii autem sunt invalidi ob intermissionem aliquam solennitatem, vel ob privatam utilitatem. De illis praesenti in loco non agitur, sed inter omnes convenit, quod ejusmodi contractus juramento non confirmantur, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, & nemo juramento suo alteri jus querendum auferre potest. vid. Brunn. in Commentar. ad C. ad avthent. nostr. n. 6. & 7. ibique alleg. Bachov. Sichard. d. l. n. 11. Hillig. in Donell. enucleat. lib. 21. cap. 13. lit. T. in fin ibique allegat. sed de his saltem queritur, an scilicet contractus minorum, qui ob omissionem aliquam solennitatem, vel quia sine decreto Magistratus super rebus immobilibus inniti, sunt ipso jure nulli, juramento confirmantur? Et non una bac de re Doctorum opinio est. Donell. sape citat. lib. 21. cap. 13. putat, tale juramentum neque jure civili, neque juri Divino obligatorium esse, quod late ibidem deducit, concedit tamen, quod minor sine peccato contractui jurato, se velit, slave, & promissa prestare posse. Hilliger autem ibid. in notis lit. P. & seqq. juramentum super contractu ejusmodi in valido praesitum secundum jus Divinum sine labore conscientiae violari non posse statuit, quia, ipso Donello

fatente, minor salva conscientia contractui satisfacere potest,
ideoq; juramentum, quo ejusmodi contractus confirmatus est,
contra bonos mores praestitum videri non potest. & per conse-
quens, quia salva vita eterna servari potest, servandum.
vid ibid. lit. S. sed in foro civili suojurandum contractum
invalido adjectum nullos habere vires & ipse putas, ibid. lit. T.
ibi: Puto tamen contractibus jure nullis adjectum jusjurandum
vites civiles nullos habere, necum dare easdem contra-
ctui, sicut ad. ad authent nostram n. 10. d' singuit inter statu-
rum in rem, & personam conceptum. Priori casu contractum
invalidum juramento confirmari dicit, sed posteriori negat.
verum & hac opinio merito rejicitur ab aliis, neque probari
potest, quod major sit prohibitio, quando statutum in perso-
nam, scilicet, notumus quenquam minorem posse alienare, nec
aliquem cum minoribus posse contrahere, quam quando in rem,
tempore voluntatis contractus minorum esse invalidos, conceptum
est. Brunnem dict. loc. n. 8. Hartmann. Pistor. par. 4. qvæst. 6.
num. 12. ubi dicit hanc distinctionem tanquam verbalem com-
muniter reprobaram esse. Nobis placet illorum opinio, qui
dicant, quod contractus minorum inzahdi juramento confir-
mentur, ita ut ne quidem relaxatio ab ejusmodi juramento
peti, vel cum effectu impetrari posset. Quam defendunt Bachov.
ad Treutler. Volum. I. Disput. 11. th. 9. lit. C. vinn. lib. 1.
Select. qvæst. 15. Molina de Jusit. & jure. Tom. I. Disput.
149. & 150. Gometz. dict. loc. vers. Tertio extende. Gall.
lib. 2. Obser. 41. num. ult. Brunnem. dict. loc. Francisc. de
caldas ad l. 3. C. de restitut in integr. verb. minoribus n. 2.
Et hoc opinionem communem dicit sichard. quam in practica
sejvi cogeretur, etiam si alias contrariam veriorem esse putet.
alleg. loc. num. 17. Tempore enim Friderici Imperatoris, qui
auctor hujus auctoritate, maxima juris canonici auctoritas
erat, quod itaq; hic de juramentis puberum habetur, id magis
ex iure canonico, quam civili explicandum & interpretandum
est; cum etiam hodie inter ipsos Protestantes in materia jura-
mentorum ius canonicum juri civili prævalat, Hulderie. ab
Eysen.

Eyben. de origin. progress. usu & author. juris Canon. in terr. protestant. §. 18. Jam autem ipse Adversarii fatentur, quod, uti alias juramentum super negotio jure civili invalido praestatum jure canonico valeat & obligatorium est per Cap. 28. X. de jurejurand. cap. 2. de pact. in 6. ita & sacramenta puberum servanda sint, etiam si contractus, super quo juratum est, sit ipso jure nullus Perekz, ad tit. Cod. Si advers. vendition. num. 7. conf. Doctores supra allegati, in specie Baubor. & vinn. ubi pluribus eam probant, & ad contraria respondent.

THES. VII.

Quando autem in Thesi præcedenti diximus, tractus etiam invalidos juramento confirmari, hoc ita accipiendum esse putamus, ut reviviscat vis & obli-gatio, quam haberent & producerent ejusmodi contractus, si citra juramentum ipso jure valerent. (a) Hinc porro recte nobis statuere videntur, qui dicunt, quod ex tali contractu etiam heredes jurantis obligentur. (b)

(a) Magna inter Doctores controversia est, an contractus juramento confirmati convalescant, & ex invalidis, siant validi? An vero ipse contractus non convalescentur, sed juramentum saltem obliget jurantem, & servandum sit. Neque hec Disputatio de verbis, sed de re ipsa est, & ex diversis hisce opinio-nibus, diversè deducuntur conclusiones. Sic qui posteriorum defendant, illi dicunt, quod ejusmodi contractus non ligent heredes. Quod impetrata absolutione, contractus remaneat, ac si non juratum esset. Quod solutum virtute juramenti pos-sit repeti, seu solutum sine causa. (Quam recte autem hoc dicatur, videre est apud Dn. Zigerl. ad Lancellott. lib. 4. tit. 7. §. 6. ubi dicit, quod sit DEO simul & hominibus illu-dere, si quis id, quod solutum se juravit, una manu ita det, ut altera recipiat.) Quod mulier, que alienavit rem dotalem eandem

eandem vindicare posset à tertio possessore, non habente causam
ab emtore. Et hec ita refert ex Franciso. de caldas Com-
ment. ad l. 3. C. de in integr. restit. minor. verb. minoribus
num. 3. Hillig. dict. loc. lit. X. Qui autem priori opinioni
adstipulantur, illas conclusiones sere invertunt, & contrarium
statuunt. vid. covarruv. in Relect. Cap. Qvamvis pactum de
pac. in 6. p. 2. §. 1. n. 17. ubi vers. Quarto, ex communi
sententia de ea quæstione, an contractus invalidus juramento
confirmatus, & validus redditus, validus maneat, etiam si ex
justa causa (sine justa causa enim juramentum relaxari non
potest, arg. arbent. nostra ibi irrevocabiliter custodiantur, &
Cap. 2. de pac. in 6. ibi omnino servari debet) absolutio à
juramento impetrata sit? an autem sublatio juramenti vinculo,
pristinam recipiat naturam, & sic pro invalido habendus sit?
explicatus agit, ubi videri potest. Conf. Frantz. lib. 2.
Resolut. 6. num. 6. & 9. Nobis prima placet opinio, eamque
intentioni Imperatoris magis convenire putamus. Nulla enim
sufficiens dari poterit ratio, cur juramentum, quod super con-
trahib[us] prestat[ur], & irrevocabiliter, & omnino servandum
est, non debat officere contractum, sed ille in favorem forsan
heredum debeat manere invalidus. Accedit, quod secundum
primam opinionem, indeq. deductas conclusiones, vir dicti posset,
quod juramentum secundum intentionem Imperatoris, irrev-
ocabiliter servetur, sed potius, si non directo, tamen per indirec-
tum facile circumveniri, & vitari posset. Et hec opinio etiam
non obscure per Cap. 2. de pac. in 6. probatur, quando ibi
dicitur, quod pacium juramento firmetur, & servari de-
beat. vid. Gometz, Tom. 2. resolut. 14. num. 19. Bachov.
ad Treutler. Vol. 1. Disput. 6. thel. 7. lit. D. covarruv. d. l.
ubi dicit, quod ab opinione Bartoli, quæ nostra est, in judicio,
& privatis responsis non sit recedendum, quia adeo fortia sunt
verba textuum in authentica nostra, & aliis similibus confi-
tutionibus, ut nullam ex aequo patientur congruam responsio-
nem, ideoq[ue] non esse locum hanc controversie quondam tribu-
nalia

na'ia, licet negari non posset, dubiam hanc esse questionem
quoad privatam disputationem conf. Hillig. alleg. loc. lit. X.

- (b) sunt qui putant, quod, etiamsi contractus invalidi per jura-
mentum non confirmantur, heredes jurantis nihilominus con-
veniri possint, ac illud, quod a defuncto jurato promisum, pra-
stare debeant. Quia ex juramento duplex oritur obligatio, una
per comparationem ad DEUM, qua is, qui se juramento ad-
strinxit, tenetur sub reatu letibala culpe perjurii efficiere, ne
DEUM non adduxerit in testem falso infidelis et promisus;
altera, per comparationem ad eum, cui factum est juramentum,
qua eo ipso, quod iuramentum spontaneum est adhibitum, et
adimpleti promisus neque ex se, neq; ex prohibitione juris
positivis est illicita, comparat ille verum jus ad id, quod ita
est sibi promisum, ac proinde ipsi efficitur omnino debitum.
Molina de Just. & Jur. Tom. 1. Disput. 150. Et postea addit,
quod illi, cui sub fide iuramenti aliquid promissum est, conce-
datur actio non tantum contra jurantem, sed etiam heredes
illius, que etiam opinio Panormitani, referente covarruv.
d. l. verl. secundo severa &c. Ipse autem covarruvias id
quod de duplice obligatione ex iuramento, indeque nata actio-
ne tam contra jurantem, quam heredem ipsius verbis Mo-
line adduximus, non admittit; consentit Bachov. d. l. quia
probari non potest, quod iur canonicum ex iuramento actio-
nem prodiderit. Et possunt haec ambigues eritari, si cum com-
muni Doctorum schola statuamus, quod contractus invalidus
per iuramentum confirmetur, et validus reddatur; tunc enim
actio ex ipso contractu confirmato oritur, et, ut alias actio
ex contractu in heredes transit. Bachov. covarruv. Gomez.
alleg. loc. conf. Siebold. ad avthen. nostram n. 39. sed hoc non
eo extendendum est, ac se heredes jurantis quoque fiant per-
juri, si contractum a defuncto iuramento confirmatum adim-
plete recusat. Iuramentum enim reale est quoad observan-
tiam contractus, et obligationis circuitus vinculum; personale
autem quoad vinculum religiosum et reatum perjurii Hillig.
d. l. lit. X, ibique allegat.

THES. VIII.

Sed ea, qvæ de juramentis puberum, illorumq; validitate hucusq; adducta sunt, non obtinent, qvando puberes, vel justo metu coacti, (a) vel dolo inducti, (b) vel errore lapsi (c) juraverunt.

(a) Qvod in fero externo juramentum justo metu extortum non sit obligatorium, de eo inter utriusque juris tam civiles, quam canonici Interpretes convenit per textus expressos in avthen. nottra & cap. 2. de paci. in. 6. Licit in eo dissentiant, an puberes, qui vi coacti jurato confirmarunt contractum, relaxationem juramenti petere teneantur, an vero absque illa juramentum vi extortum sit ipso jure nullum? De quo primum communiter canonistæ, ultimum autem Legista defendant. Vid. Hillig ad Don. d.l. lit. V. Nec valde dubium, & ne apud eos quidem est, qui jurantem in conscientia obligatum esse putant, ad prestatum id, quod sub fide juramento promissum est, quin Magistratus politicus juramento coacto salva justitia omnem vim admere, & illum quoq; qui vim metumve intulit, cogere posse, ut jam solutum restituat, vel, re ad bac integra, promissum remittat. Vid. Frantz. libr. 2. Resolut. 3. num. 25. & 26. Conf. Carpzov. in Jurispr. Eccles. lib. 2. defin. 56. Dissentit tamen Cyprian. Regner. in censur. Belg. in Cod. ad tit. si adverlus vendition. putans quod avertent ca nostra ideo, qvia juramentum metu extortum nullius momenti esse jubet, censura dñna sit. An autem ipse jurans salva conscientia jurate promissioni, vel solutionem promisso denegando, vel solutum repetendo contravenire posse, alias, & quidem satis vexata est questio. Negativam defendunt Frantz. libr. 2. Resolut 3. per tot. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 15. ibique zigler. in not. Meisler. in casib. Conscient. cap. 10. Sect. 4. memb. 2. qvæst. 3. & 6. & allegari ab Hillig alleg. loc. lit F. cuius opinionis fundamentum ponitur in obligatione, que DEO hic acquiritur. Ex omni enim

enim juramento promissorio duplex oriri dicitur obligatio, una respectu ad hominem, cui promissio facta, altera habita consideratione ad DEUM, qui in testem promissionis adductus fuit. Licet itaque quando juramentum vi metuere extortum est, homini obligatio non acquiratur, quia nemo ex dolo vel delicto suo actionem sibi querere potest. Vid. Grot. alleg. loc. §. 14. ibique Zigel. Franzk. d. l. num. 32. alteram tamen obligationem, qua jarans DEO obstrictus est, efficerent dicunt, ut juramentum servandum sit, ne DEUS in testem false infidelium promissionis affutus videatur. Franzk. alleg. loc. num. 21. Grot. d. l. Qvod Dn. Franzk. alleg. loc. num. 66. & 67. ampliat, quod, etiam si aliquis re coactus improbo latroni jurato aliquid promisevit, id salva conscientia ne quidem Magistratui denuntiari possit. Qvod tamen permittant Baldusius. Et, qui eum refert Et sequitur Meisterus alleg. Qvæst. 3. Pro affirmativa autem pugnant Donell. lib. 21. cap. 13. setfer de jurament. lib. 1. cap. 20. Dn. Tho- mas. ad Strauch. Disput. 27. th. 15. Dn. Puffendorff. de jur. natural. & gent. lib. 4. cap. 2. §. 8. Dn. Hertius lib. 1. Pa-roem. 31. §. 1. Et Commentat. de Litr. Sect. 2. §. 24. Quia, quando alteri aliquid jurato promittitur, inde orta obligatio ab eo, cui promissio facta, remitti potest, ideoq; Et illi principaliter acquisita, DEUS vero in testem promissionis saltem adductus fuit. sine iurisca testis autem obligatio principalis ex justa causa infirmari potest. Et, quia DEUS ratum Et acceptum habet iurandum in favorem illius, cui id praesitum est, presumi non potest, quod in favorem improbi latronis, qui est legum diuinarum contemptor, Et pestis Reipublica, juramentum coactum accipere. Et alterum, qui improba vi ad jurandum Et promittendum coactus est, ad daudum latroni, cui nulla obligatio acquisita, Et qui solutum absque peccato accipere non potest, in conscientia obligare voluerit. sed hæc questio proprie non est hujus loci, ubi saltem de foro externo agitur, ideoque benevolum lectorum ad Au-

tores pro utraque opinione allegatos remittimus. Confer. insti-
riri Dn. Hertius alleg. Paroem. 31. §. 2. ubi ultimam opini-
onem, quam ipse defendit, declarat & limitat.

- (b) Cap. 28 X. de jurejur. & cap. 2. de paci. n. 6. Quia, qui
dolo circumventus & inductus aliquid agit, non consenit,
l. 9. § 2. ff. de transact. l. 145. ff. de R. J. Ideoque nec
juranentum dolo elicitem obligatorium est, cum juramentum
ad non cogitata, & ultra intentionem non extendatur. Hinc
præsenti in causa etiam non distinguatur inter forum internum
& externum, ut secundum lit. præced. a nonnullis hoc di-
stincto adhibetur, quando de juramento coacto quæstio est.
sed & in conscientia tutus est, qui proprium dolum adversarii
agit, ille suo modo consentit, scilicet ac ille, qui dolo adversarii
deceptus est. Ideoque nec relaxatione juramenti hic opus
sed jurarentum ipso jure nullum esse videtur. Videant: Do-
well lib. 21. cap. 13. ibique H. lig. lit. A a. & seqq. covar-
ruu ad cap. Qvamvis pactum de paci. in 6. part. 3. § 4. n. 3.
Frantz. lib. 2. Resol. 4. per tot. ubi num. 9. hoc limitat,
quando dolus nos dedit causam promissioni jurate quoad
substantian, sed altem versetur circa accidentalem rei con-
ditionem sive circumstantiam, nisi forte ea secundum intentio-
nem jurantis explicitam aut virtualē adeo intrinseca sit ob-
jecto, ut in illud non feratur, nisi quatenus tali condicione
affectum est, ut tum, ea deficiente, & juramenti obligatio de-
ficiat. sed cum dolus alius sit verus, alias ex resipia, quo-
ritur, an juramen' um sit obligatorium, si minor non evidens
callido adversarii malibinatioibus circumventus, sed enor-
miter, vel enormissime laesus? Et communis Dd. opinio est,
quod minor contractum cum alio celebratum juramento confir-
mans, non probatur ex l. 2. C. de rescind. vend. vel alio
remedio majoribus aequi ac minoribus communī contra ejus-
modi contractum juratum experiri, nisi in specie hanc quoque
remedii jurato renunciaverit. Via. Frantz. alleg. Resol. 4.
ubi

ubi num. 14. & 15. bac leguntur verba. Si minor juravit, juramentum illius excludit solum beneficium nullitatis, & restitutionis in integrum, adeoque omne id remedium, quod ratione etatis ipsi est concessum, non vero, quod & majoribus ex alia causa commune est, quale quoque inter alia est propter enormem lesionem beneficium, quod tunc est in minore absolutionis causa, l. 2. C. de rescind. vendit. Bartol. in d. arth. num. 14. Jason. ibid. num. 47. Gometz. Tom. II. Resol. 18. num. 20. Coriarri. in d. cap. quamvis part. 3. §. 4. num. 9. Guttie rebus in d. arth. n. 51. Ratio perspicua est, quod ex communissima Doctorum sententia propter auctoritatem jurisurandi minor pro maiore habeatur, & beneficio taliter etatis renunciare centetur. Unde quidem, dum remedium praeditum, qui secundum veritatem maiores sunt, usurpare, illis certe, qui fictione tales habentur, non erit denegandum. Nec enim amplius fictio, quam veritas operari potest, & nec alias juramentum duo specialia operari solet, & sat's juramenti vis conspicitor, dum excludit beneficium nullitatis & restitutionis. Hoc paro declarat num. 16. & seqq quando ibidem distinguit, an minor simpliciter jurer? an determinare? Et quidem vel minus plene, quod ratione etatis, vel plene & in unius versu, quod nec ratione etatis, nec quoconque alio modo actui contraventur sit. Et priori casu, quando sollicit minor simpliciter juravit, dubitationem grandam subesse, & sororculum in conscientia residere posse putat, num & ad lesionem enormem juramentum extendendum, vel à jurante de eadem cogitatum sit. secus ac posteriori casu, quia, quibus beneficiis minor tunc renunciaverit certum; ideoque si minus plene, sollicit tantum ratione etatis juraverit, illum quoad euormem lesionem ex dicta l. 2. C. de rescind. vendit. recte sine absolutione, quod si autem plene & in uniusversum juraverit, omnino non etiam cum absolutione agere posse, afferit. Interim non negat, quod & priori casu, si uenire simpliciter juratum, minor enormiter laesus ex l. 2.

C 3

C. de

C. de rescindenda vendit, in fovo externo cum effectu agere possit. vid. num. 19. & seqq. nec secundum superioris allatam rationem negare potest. Quando enim minor, qui minus plene, quod scilicet ratione etatis a cui contraventurus non sit, juravit, ad remedium dict. leg. 2. admittitur, hoc non ideo fit, quia propter auctoritatem jurisjurandi minor pro maiore habetur, & beneficio saltem etatis renunciare censetur; sed quia hic limitata est causa, & de voluntate & consensu jurantis, quod illum quoad etatis rationem & beneficium velit coartatum, constat. Frantz. d. l. num. 18. Ideoque dicta ratio, si non omnino vana & nulla esse debet, ad aliam, quam priorem casum pertinere non potest. Confer. covarruv. d. l. num. 8. & seqq. Hillig. d. l. lit. M. ibique allegat.

(c) Nam & errans non consentit. l. 15. ff. de jurisdict. l. 115. §. 3. ff. de R. J. Ideoque nec ex juramento suo obligatur, etiam si ille, cui juratur, quoque erret. Donell. d. l. confer. Rauchb. lib. 2. qvæst. 37. & seqq. Puffendorff. d. tract. lib. 4. cap. 2. §. 7. Hillig. ad Donell. d. l. lit. C. c. ubi etiam de contractu simulato agitur. Cum autem non omnis error consenti sum excludat, omnium circumstantiarum babenda est ratio, ne sub praetextu erroris contra reverentiam Summo Numinis debitam juramenta temere violentur. Confer. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 11. §. 6. ibique Zigler. Puffendorff. dict. tract. lib. 3. tit. 6. §. 6. & seqq. Dn. Hert. lib. 3. Paroem 1^o. §. 7. titius ad Lauterb. tit. de contrahend. emtion. Observ. 511. & seqq.

THESS. IX.

Hæc avthentica adhuc hodie obtinet, (a) nisi moribus vel statutis locorum correcta vel mutata prohibari possit. (b).


(a) Nullum est dubium, quin hec avthentica ab inicio legis habuerit vigorem. Desumpta enim est ex constitutione Friderici

Impe-

imperatoris de pace tenenda, que extat a. Feud. 53. vid.
schile. Exercit. ad ff. 1. th. 12. ubi hec ipsius leguntur ver-
ba. De constitutionibus authenticiis Friderici Imperatoris
eo minus dubitandum, cum hic & potestate legislatoria in
Imperio instritus fuerit, &c. Ideoque secundum eam tam-
diu merito in judicis pronunciatur, quamdiu, quod mutata
vel corredita sit, probari non potest. Neque obstat, quod
nonnullis iniqua, & puberibus damno*ta* videatur, quia pu-
beres eadem facilitate ad jurandum, qua ad contrahendum
induci possunt, & sic improbis hominibus saltem occasio datur
delinquere. & minores, qui ob fragile, quod habent, judi-
cium, vatis fraudibus & circumventionibus expositi sunt
bouts ffoliandi. Hec enim causa summan potestatem forsan
movere posset, ut authenticam nostram vel abrogaret, vel
corrigeret. Quamdiu autem correcta, vel abrogata non est,
judices secundum eam, non de ea judicare tenentur, vid. pi-
nel. ad l. 2. C. de rescinden. vendit. par. 3. cap. 1. num. 10.
in fin. conf. Garſi. de Expen. cap. 4. n. 56. in fin.

- (b) sed queritur, an authenticam nostram statutis & moribus loco-
rum abrogari possit? De hoc late disputat Hilliger ad Donell.
d. I. lit. P. cuius disputationis summa bac est, quod Princeps
authenticam nostram, qua rebus minorum non bene consultam.
ab. ogare possit; salva tamen iurisjurandi religione à parte
jurantis. scilicet, stante statuto, ne cum minoribus contractu
jurari celebrentur, illum, cui sub juramento aliquid promissum
est, peccare, dum à Pubere juramentum recipit, ideoque in
foro civili ejusmodi contractum juratum nullus esse mimenti,
nec paſſe creatorem id, quod promissum est. à promissore alio
modo exigere; peccare etiam forsan jurantem, quod contra
legis probationem juraverit; postquam autem juratum est,
ad iurandum juramentum hunc in conscientia obligatum esse
dicit; Cum jam ante violata sit legum auctoritas, neq; nunc
in eos iterum delinquat, qui praſtat, quod juravit, eti tunc
deligere

deliquerit forte, cum juraret. Quia, an non etiam ad eum casum, quando lex expresse prohibet, ne juratum servetur, extendenda sint, bestiat, & i theologis ea excutienda relinquit. Conf. Du. Hertius in Dissertat. de Collisione legum, Sect. 3. §. 3. ubi tradit, quid inter sit, si lex illa, cui promissio facta, jus questum auferat; Et se hoc non tantum faciat, sed etiam ei, qui promisit, auferat implendi libertatem. Illo scilicet casu licet non implere, quia lex alteri jus questum abstulit; hoc casu non licet implere, quia hoc quoque jus sublatum est imperio legis, quae plus sanguinis potest polletque. Quibus interim in locis authenticis sostra vel non recepta, vel abrogata sit, vid. apud Hillig. d. I. lit. A. addit. Vinn. lib. I. Select. qvæst. n. 5. in fin.



(- 196)

Greifswald, Diss., 1906-25

ULB Halle
005 372 038

3



SB



Pr. 2

Theses Juridicæ,
DE
**SACRAMENTIS
PUBERUM.**

Avthent. Sacram. Puberum

C. Si advers. vendition.

Qvas

DIVINA FAVENTE GRATIA

PRÆSIDENT

D. HENNING CHRISTOPH.
GERDESEN,

Professore Juris Ordinario,

Ad Diem Martii

publico Eruditorum Examini

submittit

JOACHIMUS CHRISTIAN STROHTE,
Bergâ Rugianus.

GRYPHIS WALDIE,
Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

